

Ἐπιχειρήματα ποικίλα πρὸς τὸν τῷ κύκλου περιγραφο-  
νισμούς Νικόλεω τῷ Κουσαίῳ ἐκδεδωμένους.

# DE QVADRATV

RA CIRCVLII SECVNDVM NI

colaũ Cusensem, Dialogus Ioan. de Montereigio.

ARISTOPHILVS. CRITIAS.

ARIS.



**C**RANDIS me tenet huius uiri admiratio, cui & si publicis ar-  
duisq; circũuento negocijs, tantum tamq; clarum philosophiã  
munus suo ex thesauro natura ipsa deprompsit. Scio equidem  
plurimis iam dudum philosophis huiuscemodi metã attingen-  
dã libidinem incessisse; plerisq; quidem frustra nitentibus, Ar-  
chimedẽ autem palmam non iniuria uenisse, tametsi principia  
sua non modo non admittere cogatur animus, uerũ etiam quo-  
dammodo horreat: spiralem uidelicet lineam designare, eiq; in puncto quolibet  
contingentem applicare. Hic autem spectatissimus Dei & naturæ præco, nihil  
prorsus ambigui admiscere uidetur. Sed quid mecum hæc mussitando diem con-  
tero? conueniendus hercle est Critias meus, ut inuentũ hoc cõprimũ resciat: cui, ni-  
si me animus fallit, ingens auri pondus aduexisse uidebor. mirum autem si nõ do-  
mi suæ manens ad lucernam etiam hoc mane literis inuigilet. Adibo. hui graues  
hæc fores aperi obsecro Critia. **C R I T.** Quis est? **A R I S.** Aristophilus sal-  
uere te iubens. **C R I T.** Recte quidem te demiror, qui hoc triduo nusquã appare-  
bas, auroram uero literis meis delectissimã importunus adimis. **A R I S.** Haud  
ab re Critia mihi succenses, habituro tamen, sic spero, ueniam, ubi quod porto no-  
uum persenseris. **C R I.** Id noui amico cõmune facito. **A R I S.** Faxo equidẽ li-  
bens, si prius calamum medullæ tuæ furem reijcias. **C R I.** Ita ne iocis cedendum  
tuis? **A R I S.** Imò serio. **C R I.** Perge igitur quod lubet. **A R I S.** Pone igitur quod ius-  
si. **C R I.** Ah missos fac hosce ludos, nisi insolens aufugere malis, quem pridem im-  
portunum admisi. **A R I S.** Profecto miseret me tui nunq; se macerare desinentis.  
remitte quæso paulisper animũ tuũ, & labori quietem intermiscuas tuo. uix ocu-  
los tuos uideo dimidios: genæ pallidæ: liuida labiorũ tinctura, quid malũ porten-  
dant ipse calles. **C R I.** Nihil est quod uerear: iam enim pridem febris grandiuscu-  
la id reliquit uestigiorum. Verum ita sunt res humanæ, ut quæ tibi conducant, ali-  
us quispiam q; ipsemet certius iudicari. auscultandum tibi censeo Aristophile.  
**A R I S.** Nobile cunctis iam dudũ philosophis natura exposuit brauium, cuius obti-  
nendũ gratia plerisq; Græcos clarissimos egregie cucurrisse atq; concertasse aiũt.  
**C R I.** Quas mihi nebulas affers? **A R I S.** Archimedem in ea re cæteros superasse fa-  
ma est. **C R I.** Pergin perplexe loqui? **A R I S.** Ambitum circuli dirigere, areamq; su-  
am quadrare per paucis hæctenus libuit. **C R I.** Imò nemini conanti etiam iter pa-  
teret, nisi Siculus ille Geometrarũ flos inuenta sua literis mandasset. **A R I S.** Aliũ  
tibi dabo qui lucide breuiterq; lineæ circulari æqualem rectam dare pollicetur, un-  
de & circulum ipsum quadrare haud arduum uidebitur. **C R I.** Hippocratem forsi-  
tan quem per lunulas id assequi conatum defecisse clamant, ubi lunulæ exagonæ  
æqualem triangulum rectilineum datum iri tanq; certum pridem & firmatum as-  
sumit,